



2.  
Rectissime fieri, si *Spiritus S.* in sermonibus  
sive Ecclesiasticis sive scholasticis aut *Co-*  
*tumba* aut *Igni* aut *Linguis* aut *Vento* compa-  
remus, nemo facile eorum, qui vel ex  
professo Theologi vel alias pie eruditi  
sunt, in dubium vocaverit, quum heic & præeuntem &  
præmonstrantem, immo confirmantem atq; approban-  
tem habeamus sacram Scripturam. Alias Scripturâ ta-  
cente quis loquatur? *Non afferamus stateras dolosas* (inquit  
B. Augustinus l. 2. de Baptism. contra Donatist. c. 6. &  
ex eo Martinus Chemniti<sup>9</sup> part. 1. Examin. Concilii Tri-  
dentini) *ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volu-*  
*mus, pro arbitrio nostro dicentes, Hoc grave est, hoc leve.*  
*Sed afferamus divinam stateram de scripturis sanctis, tamquam*  
*de thesauris Dominicis, & illâ quid sit gradus, appendamus; imò*  
*non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.* Recte  
loquitur sanctus Episcopus & saluberrimè monet. Inde  
& Polycarpus Lyserus (Harmon. Evangel. c. CXXIV.)  
ubi de decem leprosis commentatur & allegoriarum me-  
minit, hæc interferuit: *Juniores concionatores parcè ijs ut an-*  
*tur, ne cum Origene & Judais omnia in allegorias commutent; nisi*  
*enim illa in Scripturâ certa & firma fundamenta habeant, satius*  
*est illas omittere, quam ineptè aut citra fructum ijs uti.* Unde  
cum B. Lutherus alicubi scripsisset, *Ego odi allegorias,* ita  
eum excusat D. Salomon Glassius (lib. II. Philol. Sacræ  
part. I. tractat. 2. sect. 3.) quod denotet *allegorias ἀνεγώφισ-*  
*in Scripturam illatas, contortas, alienas & nimis crebras,* quales  
ibidem statim adducit ex Alphonso Salmerone. Nempe,  
quod quidam hominis creationem ex fabulâ Promethei,  
*CHRISTVM bis natum ex Patre & ex matre* ex fabulâ Semeles  
& Jovis (quod non sine blasphemiâ dici potest) itemque  
Minervæ & Danaës, quæ ex imbre aureo supernè in eam  
delapso conceperit & pepererit, probare conati fuerint.  
Quidam concionator (pergit B. Glassius) *CHRISTI per-*  
secutionem.